

nihil huiusmodi occurrit, in ullius S. pontificis Bullario, nec in collectione ea omnia, quae ad missiones et missionarios spectant, complectente, cui titulus: *Bullarium pontificium sacrae congregationis de propaganda fide* (5. vol. in 4. Romae 1740. Typis collegii Urbani (49). Unde si agatur de dogmatica, aut generali aut proprie dicta S. Sedis declaratione ad coniugiorum illorum invaliditatem pertinente, nulla unquam prodiit, nulla prorsus existit. Si vero agatur de aliquo alicuius S. congregationis Romanae responso, aut decreto particulari seu ad casum particularem *pro attentis peculiaribus circumstantiis* spectante, verum cuius non ea vis est, ut quaestionem ullam doctrinalem definiat, nonnullum forte emissum est: sed hoc ipsum prorsus ignorant etiam Romae viri doctissimi, et in studiis rebusque theologis et canonicis versatissimi. Ergo tantum abest, ut de illa S. Sedis declaratione constet, ut contra certum sit nullam hoc nomine appellandam existere. Hactenus quidem ille (50).

Ad horum ulteriorem confirmationem adde cl. Muzzarellium Romae vulgasse opusculum suum de matrimonii contractu prout est sacramentum, in quo hanc tuetur sententiam, cui tamen utpote S. poenitentiariae pontificio theologo, si qua ei declaratio aut resolutio contraria comperta fuisset, profecto nunquam illam sententiam propugnasset. Ego ipse doctissimum S. R. E. Cardinalem, qui non ita pridem assessoris munere summa cum laude functus erat SS. inquisitionis supremae congregationis, hac de re interrogavi, mihi que respondit nullum editum fuisse decretum huiusmodi. Quod si aliqua resolutio peculiaris data est pro speciali aliquo casu, nihil officit, tum quia hactenus data opera hoc super argumento discussio facta non

(49) Nec omittendum quod in universa synodo vicariatus Sutchuensis, quae habita est in Sinis in districtu Teong King Tcheou an. 1805. ac Romae impressa an 1857. Typis sacrae congregat. de propaganda fide, nihil eiusmodi occurrat, etsi plura statuatur de matrimoniis infidelium sive in tit. *De Baptismo*, sive in tit. *De matrimonio*, sive in instructione pastorali Ioannis Desiderii, episcopi Caradrensis, vicarii Sutchuensis, quae satis proluxa est. Porro si quidpiam hac de re constitutum fuisset, procul dubio praetermissum minime esset.

(50) Loc. cit. n. 209, pag. 22. 23.

fuerat, et in rebus dubiis consueverunt congregationes Romanae communiori sententiae, prout hactenus ista fuit, ob rationum momenta, quae paulo ante recensuimus, adhaerere, quin intenderint quidpiam rei veritati detrahere, prout identidem in aliis adhuc implexis quaestionibus sese gesserunt (51).

Maneat igitur neque argumentis intrinsicis, neque extrinsecis, seu ex auctoritate petitis concuti quod statuimus, principes scilicet infideles ius non habere leges ferendi matrimonium infidelium suorum subditorum quoad vinculum dirimentes.

ARTICULUS II.— Corollaria deducuntur ex statuta doctrina, per quam lux affunditur toti controversiae de ecclesiastica et civili potestate relate ad matrimonium christianum.

Omni qua datum est argumentum vi et copia ostendimus, ipsum matrimonium infidelium nullatenus quoad vinculum potestati principum infidelium subesse: ex hoc enim principio multa dimanant corollaria, quae doctrinam a nobis hactenus expositam de matrimonio christiano mire confirmant et illustrant.

Ac re sane vera, si nullo unquam iure in matrimonii vinculum, prout coniugium contractus est naturalis, potiti sunt aut potiri possunt principes infideles erga subditos etiam infideles:

Sequitur 1. Nullatenus necesse esse, ut cum quibusdam theologis dicamus, Christum evectione facta naturalis coniugii ad sacramenti dignitatem, illud subtraxisse principum potestati ac transtulisse in potestatem Ecclesiae (52). Nihil omnino Christus

(51) Hac ratione componuntur discrepantiae, quae in nonnullis resolutionibus particularibus interdum sacris congregationibus obiectae sunt, de quibus etiam, ut vidimus, loquitur Benedictus XIV. *De synodo dioecesis*. lib. VI. c. VI. n. 3. Ubi meminit etiam discrepantiae opinionum, quae non semel inter consultores videntur, prout mihi constat in quaestione, quam versamus in congregatione suprema SS. inquisitionis; nec praevalet contraria resolutio, nisi quia, ut innui, magis erat conformis communiori tunc temporis theologorum placito.

(52) Ut nihil dicam de aulicis scriptoribus apertis Ecclesiae hostibus, qui omnem eidem Ecclesiae auctoritatem denegant; quoad sinceros catholicos, qui saltem communem faciunt principibus cum Ecclesia potestatem constituendi impedimenta dirimentia, ac urgent et ipsi hoc argumentum, quod si denega-

subtrahit principibus; ius civile quod habebant intactum reliquit, atque Ecclesiae auctoritati sacramentum matrimonii commisit, quod etiam seposita sacramenti ratione ad sacram, non autem ad civilem auctoritatem quoad vinculum in ipso naturali ordine pertineret.

Sequitur 2. Neque dici debere, exclusivum Ecclesiae ius statuendi impedimenta matrimonium dirimentia pendere ex positiva aliqua Ecclesiae lege, seu ex iure ecclesiastico, quo sibi eam potestatem Ecclesia ipsa reservaverit, eiusque usum christianis principibus interdixerit.

Sequitur 3. Neque illud admittendum esse nonnullorum theologorum placitum, qui gratuito affirmant, exclusivum illud Ecclesiae ius pendere ex tacita quadam ac implicita christianorum principum cessione, qui pro sua in Ecclesiam pietate exercitium huius potestatis Ecclesiae reliquisse dicuntur.

Sequitur 4. Multo magis errare regalistas, qui potestatem iuris, quo gaudet Ecclesia, ab usurpatione quadam repetunt, ac effutunt tenebricoso illo medio aevo Ecclesiam sibi vi aut fraude potestatem usurpasse, ac dirimentia impedimenta constituisse illius aetatis communi ignorantia freta.

Sequitur 5. Falso laborare supposito regalistas, qui regiam potestatem in matrimonii vinculum vocant inamissibilem, impraescriptibilem atque inviolabilem, ac ius *maiestaticum*, quod nec cedi nec auferri potest. Commentitium siquidem est huiusmodi ius ac gratuito prorsus confictum.

Sequitur 6. Negato principum etiam infidelium iure in matrimonium infidelium, locum amplius non habere difficultates quasdam regalarum, quae magna vi nec sine triumpho specie solent contra eos theologos, qui ius illud quod infidelibus prin-

retur principibus hoc ius, Christus eis nocuisset, cum nomen darent religioni christianae, non animadvertunt etiam in ipsorum hypothesi id ipsum contingere. Nam antequam christianismum profiterentur, *soli* hoc iure fruebantur, postea vero non amplius soli, sed una cum Ecclesia commune illud haberent et quidem cum subordinatione; siquidem temporale societatis bonum coordinari debet cum spirituali, et ita ut in conflictu istud praevaleret, ut per se patet.

cipibus tribuunt, ac christianis principibus negant, urgeri. Rident nimirum regalistae theologorum placita, quae modo recensuimus (53), utpote gratuita, nec bene cohaerentia, imo vero contendunt Ecclesiam non potuisse christianis principibus illud ius interdiceri, quo infideles potiuntur, nec potuisse principes iure suo ex pietate cedere, quin potius pietatis esse regalia iura divinitus accepta sancte servare (54), vindicare,

(53) Speciminis gratia verba afferam, quae inverecundus Launoïus habet, sic fingens Rom. pontificem principes alloquentem: « Bene veneritis carissimi filii; multi sunt anni quod potestate ferendarum circa matrimoniales contractus legum laudabiliter, ut decebat, fruiimini. Non possum non satis laudare obsequium vestrum; sed haud morabor vos diutius; iam tempus est ut vacetis otio, et ab illo labore desistatis: Ego considerata re, et motu proprio, statui de potestate illa mihi deinceps accommodare, et vos tanto onere levare. Christiani principes audito sermone tam blando consenserunt, gratias egerunt, et accepta benedictione et indulgentiis reversi sunt in regionem suam. Actum die N. mensis et anno N. » (pag. op. et ed. cit. 521.) certe apertus haereticus nequivisset adeo impudenter debacchari.

(54) Ita inter caeteros Iacobus Bolaeus, doctor et socius Sorbonicus in op. *Traité des empêchemens du mariage; où l'on fait voir, que le droit qu'ont les rois et les princes d'en établir à l'égard de leurs sujets, n'a pu leur être ôté par violence ou par piété.* In hoc vero Tractatu cap. VI. ita scribit hic auctor: « Il y a deux sortes de sentimens des théologiens et des canonistes sur ce sujet, qui voyant bien qu'originaiement les princes étaient dans le droit d'établir des empêchemens aux mariages de leurs sujets tant baptisés que non baptisés, catholiques qu'hérétiques, se sont avisés de dire que les princes avaient été dépouillés de ce droit. Les uns prétendent qu'ils en ont été dépouillés par la réserve que le Pape s'est faite de ce pouvoir; et les autres par l'abdication volontaire qu'en ont faite les princes en faveur de l'Eglise. Sanchez est du premier sentiment... Pierre Soto... est persuadé que ce n'est pas le Pape, ni l'Eglise qui leur en a interdit l'usage, mais que ces princes ont cédé ce droit par piété et de bonne volonté à l'Eglise, de telle sorte pour tant que les princes pourraient encore se maintenir dans cet usage, et exercer le droit qu'ils ont, et qui est attaché à leur autorité... Monsieur Gerbais tient le sentiment de Soto... Mais si on disait à M. Gerbais, que la piété des princes consiste à conserver l'autorité dont Dieu les a rendus dépositaires, comme celle de l'Eglise, à ne pas usurper sans un ordre exprès de Dieu, qui a réglé la différence des deux puissances, ainsi que M. Hennequin l'a si bien observé, il ne regarderait

ac si forte in desuetudinem abierint revocare. Haec atque alia, quae a regalisticis contra theologos urgentur, aërem verberant, si fixum ratumque sit, ipsos etiam infideles principes nullum ius habere in matrimonium infidelium. Hisce difficultatibus theologi quidem multa reponunt, at nostra admissa sententia, ea convelluntur radicitus.

Sequitur 7. Et illam difficultatem obtruncari, quod nempe principes, quum christiani fiunt, aliquid auctoritatis amittant. At vero quomodo eam auctoritatem amittent in matrimonium, quam nunquam habuerunt? Auctoritatem in vinculum neque amittunt, neque acquirunt, sed eam utique auctoritatem retinent, quam habebant, quae iure ipsis tribuitur, constituendi impedimenta in foro civili, in ordine ad effectus civiles ac politicos, ad promovendum bonum societatis, cui praesunt, atque ad servandam tranquillitatem. Hoc reipsa iure potiti sunt iugiter principes infideles, eoque adhuc potiuntur, postquam fuerunt fideles effecti. Concidit proinde illa toties ab Ecclesiae adversariis obiecta difficultas: nimirum si admittitur principibus christianis potestas, qua, cum adhuc essent infideles, fuerunt potiti, odiosam illis reddi religionem christianam, eosque sic amoveri ab amplectenda vera religione cum tanto suo detrimento; item Christum non advenisse, ut principes laederet, atque suis iuribus spoliaret. Quas quidem difficultates mirum est quam urgeant amplificentque aulici ad unum omnes adversus catholicam doctrinam a Tridentino circa matrimonii impedimenta sancitam (35).

» peut-être pas cette piété des princes comme un si beau titre, pour
 » faire passer leur autorité à l'Église... Mais enfin quand est-ce, en quel
 » siècle, sous quel règne, et sous quel pontife les princes ont-ils eu cette
 » piété prétendue d'abandonner leur autorité à l'Église pour établir des
 » empêchemens de mariage? »

(35) Uti Spalatensis apostata, nec non eius exscriptor Launoïus, qui non contentus dixisse art. 2. c. 1. « Id genus lemmatis horrorem incutit, » Ecclesiam, ac Rom. pontificem in odium vocat et invidiam, ac principes » ethnicos a suscipienda religione christiana deterret, » sed praeterea sic per prosopopeiam hoc argumentum exponit: « Reliquum est, ut ex prin-

Communis ad haec theologorum responsio est, ea tum esse exaggerata, ac si nimis urgeantur, ex pluribus aliis capitibus posse iuxta eiusmodi aulicorum mentem odiosam reddi principibus ethnicis christianam professionem, tum abunde compensari ex multiplici emolumento, quod in ethnicos principes ex professione religionis christianae, quae adeo morigeros reddit atque obsequentes subditos, ac principum iura sarta tectaue servat.

Sane, inquiunt, posset quispiam pariter prosequendo Launoianam catechesim ita principem ethnicum competentem ad religionem christianam invitare: Scire debes, princeps optime, te crastina die, postquam baptismum susceperis, et Christum servatorem tuum ac nostrum indueris sine culpa ulla tua amissurum esse certam potestatem, quae ad regni tui subditorumque tuorum opes, divitias, facultates amplificandas maxime spectant. Nam per partem anni non mediocrem, puta per dies festos intermittetur agricultura, commercia cessabunt, non exercebuntur mercaturae, vacabunt emporia, opera desinent servilia omnia, quibus ad populorum sustentationem nihil conducibilius, conquiescent. Quid quod teneberis tuque tuique omnes abstinere a carnibus, ieiunare non infrequenter, diligere inimicos, parcere ipsis et benefacere, contemnere divitias in ipsa divitiarum omnium abundantia, humanam gloriam

» cipiis doctrinae huius mirifice sincera fiat ad regem ethnicum, qui christianae religioni nomen dare vellet admonitio. Sic ergo breviter fiet, si
 » principi competenti dicatur: Scire debes, princeps optime, te crastina
 » die, postquam baptismum susceperis et Christum servatorem tuum ac
 » nostrum indueris, sine culpa ulla tua amissurum certam quamdam po-
 » testatem, quae ad continendos in officio populos et ad conservandam
 » regni tui pacem ac tranquillitatem tibi hactenus necessaria fuit. Haec
 » autem potestas, quae politicae administrationis pars est maxima, in
 » ferendis circa subditorum tuorum matrimonia legibus consistit, dum
 » alii ad illa contrahenda habiles, alii inhabiles, prout communi bono
 » expedit, redduntur. Haec admonitio ad confutationem doctrinae recen-
 » tium theologorum, ut cumulus accedit. » Pag. 705. et iterum pag. 747.
 ed. cit.

aspernari : haec enim omnia postulat, cui nomen dare cupis, religio. Vide quantum tibi sumas oneris. Iam vivis tuus, nullusque est, cui rationem reddere debeas factorum tuorum : at suscepta semel christiana religione, secretissimas actiones, imo et ipsas arcanissimas, (si quid in iis contra legem christianam ultro tibi obrepat,) cogitationes, quibus adeo saepe pascimur, cum aliquo e tuis subditis communicare, ipsique sincere aperire, referre, declarare teneberis. Nec satis : sed cum, ut fit, aliquando peccaveris, iniunget tibi poenas expiandis luendisque illis erratis, earumque aderit secretus ille quidem, at certe severus exactor. Quid memorem alia, quae tibi iam licita putas, quae tunc illicita futura sunt etc. Porro si haec aliaque eiusmodi non pauca quis principi christianam legem professuro proponi possunt, eum minime deterrere debent quominus, ut aeternae animae suae saluti prospiciat, eandem amplectatur, multo certe minus eum absterrere ac retrahere debet potestatis cuiusdam amissio relate ad impedimenta, quibus irrita fiant subditorum suorum coniugia (56).

Ad alteram vero quod attinet responsionis partem, quae afficit emolumenta ac foenora, quae in christiana religione principibus obvenirent, animadvertunt catholici theologi, solam esse christianam religionem, quae efficaci ratione populos ad obsequendum principibus adigat, utpote quae eos subiiciat obedientiae principibus debitae, non solum propter iram, sed etiam *propter conscientiam*. Ipsa est, quae vera principum efficaciter solideque tueatur iura. Ipsa impedit, quominus quispiam vel solam cogitationem admittat, quae principem laedat, quominus de eo obloquatur, ei non obtemperet in omnibus, quae conscientiam non laedant, tributa non solvat, debitum ei non impertiatur honorem, atque ut verbo omnia complectar, illum tanquam Dei ministrum in bonum non spectet, eique

(56) Ita egregie in Launoium eiusque asseclas intorquet argumentum, quo ipsi maxime abutuntur Lhuillierius. Cui quidem retorsioni ad hominem factae nihil solidi reponi potest ad eam eludendam. Cf. op. cit. *Observatione VII. §. IV.*

tanquam Dei ipsius personam gerenti intra suae potestatis fines non obsequatur. A quibus omnibus, uti experientia non semel patefecit, longe absunt qui videntur adeo solliciti esse iurium principis, ut etiam indebita iura sub zeli specie illi vindicent (57).

Ita quidem passim theologi optime disserunt, quibus lubenti animo calculum nostrum adiicimus, immo vero nonnullis animadversionibus hic obiter huiusmodi responsiones ad regalistarum difficultates confirmamus. Difficultates hae suppositis nituntur, quae improbari pariter debent. Etenim 1. supponunt principibus non incumbere necessarium officium, sed eorum pene arbitrio relinqui christiani fiant nec ne, atque ad id ex principio *utilitatis* determinari debere. Supponunt 2. leges fieri potius ut principum voluntati ac leges ferendi auctoritati satisfiat, quam ut populorum necessitati provideatur, qui queruntur ac aegre ferunt, christianos populos civilibus legibus non indigere, quae matrimonium regant, eo quod Ecclesia regendum illud tanto felicius suscepit, similes videntur medico, qui forte quereretur aegrum sanitati supernaturaliter restitutum iam suis medicinis non indigere. Supponunt 3. civilem auctoritatem extra Ecclesiam principia publicae honestatis sancte servare posse et efficaciter promovere, dum contra experientia docet, dictamina ipsa naturalis honestatis tum in aliis, tum in re matrimoniali incerta atque inefficacia in pagana societate evasisse, ac nunc etiam evadere, simul ac Ecclesiae et religionis auctoritas a civili potestate contemnitur. Male igitur principibus tribuitur ius ferendi leges, quae matrimonii vinculum respiciant, quaeque illud vel impediunt vel dirimant, dum adest ecclesiastica auctoritas quae profecto maiori scientia ac certitudine, maiorique efficacia honestati ac sanctitati coniugii providere potest. Itaque etiamsi principes, dum ex infidelitate ad christianam religionem veniunt, ius aliquod in matrimo-

(57) Hoc argumentum praeclare evoluit card. Gerdilius in suo *Trattato del matrimonio* par. II. §. IV. *Digressione.*

nium amitterent, id lucrum potius quam iacturam aestimare deberent (58). Haec atque alia huiusmodi dici possunt ac solent. At regalistae non acquiescunt. Fatentur religionis christianae commoda et emolumenta: at vellent ea a principibus acquiri, quin vel hilum pristinae auctoritatis amitterent. Esto, nos quidem dare id tuto possumus. Theologi quidem, qui principibus infidelibus ius illud tribuunt, se ab ipsis extricabunt, nos autem ius illud merito negantes, os adversariis obstruimus.

Sequitur 8. Ex eadem doctrina leges, quas circa matrimonium christianum principes sive infideles sive fideles tulerunt, illud per se irritare nunquam potuisse. Si enim infideles principes eo iure carent in matrimonium infidelium, quomodonam irritum quoad vinculum ac nullum in conscientia reddere poterunt christianum coniugium? Principes vero christiani quomodonam per fidem ius acquisivisse dicendi sunt, quo ante fidem carebant? Per fidem facti sunt quidem Ecclesiae filii, non domini. Quapropter dum aulici nobis obtrudunt imperiales leges, quae christiani matrimonii vinculum attingere videntur, in promptu est responsio, aut eas non attigisse eiusmodi connubia, nisi in foro politico-sociali, quoad effectus civiles; aut nullius valoris fuisse ultra limites politicae potestatis latas, atque utpote leges iniustas ex usurpatione ecclesiasticae potestatis; aut vim nactas obligandi esse ex Ecclesiae sanctione, dum eas probavit, et haec in hypothesis spectandas esse uti leges ecclesiasticas. Sicque evanescit haec difficultas tanto eruditionis apparatu ab adversariis congesta.

(58) Caeterum id necessario oritur ex ipsa natura rei ob novas relationes, quas in religione christiana principes fideles acquirunt cum Ecclesia, cuius subditi efficiuntur. Amittunt ius in sacra, si quod antea habuerunt; amittunt ius in bona temporalia Deo dicata; amittunt ius in personas divino cultui mancipatas; subduntur illis in sacramentorum receptione; in poenis canonicis, si quas promeruerunt, et ita porro in aliis prope innumeris. Quid mirum igitur si etiam quoad ius in coniugia subditorum, si quod nunquam habuerunt, id ipsum contingat? Haec vero dicta sint *ad hominem* ad os obstruendum adversariis.

Sequitur 9. Leges nominatim, quae ut nonnulli contendunt, antiquitus datae sunt a principibus ad illegitimas, seu nullas reddendas nuptias filiorum familias absque parentum consensu ac beneplacito, immo ipsis reluctantibus contractas (59), aut

(59) Fuit olim legum Romanarum dispositio, inquit Massei op. cit. *De matr. conscientiae*. Romae 1766., quod irritae essent nuptiae seu sponsalia filiorum familias absque consensu Patris et ex l. 2. *De rit. nupt.* et l. 12. c. *De nuptiis*. Hinc auctor *Tractatus de exam. duar. magni momenti quaestion.* circa matrimonium lib. 5. c. 2. sect. 15. miratur, quod Cuiacius ad leg. 2. et 10. d. *De rit. nupt.* et Gothofredus ad l. 15. cod. tit. auctoritate Pauli *Recepta sentent.* lib. cit. 14. tenuerint nuptias a filiis familias initas inseciis invitisque patribus irritas de iure Romano haud fuisse.

Leges etiam Ecclesiae prioribus seculis cum legibus Romanis hac de re conspirant; ut non diffitetur Ben. XIV. *De synodo* lib. 9. c. II. §. 5. Et ad haec priora secula referendi sunt canones, quos collegerunt Binghamus *Origin. sive antiq. Eccl.* vol. 7. lib. 16. cap. 7. §. 2. ait. cit. Auctor ubi supra.

Mutata postea fuit disciplina Ecclesiae, ut ibidem testatur Bened. XIV. §. 4. Caeterum requirit et Ecclesia *ex honestate* consensum parentum in nuptiis filiorum, idque ratione reverentiae a filiis parentibus debitae.

Hic vero nota cum iure naturae hac in materia consentire non *ius* Romanum, sed ius ecclesiasticum novum, ut observavit Wolfius. *De iure nat.* part. 7. §. 953. in not. De iure naturae tenentur utique liberi ex ea, quam parentibus debent, reverentia in negotio adeo gravi nuptiarum eorum consensum exposcere. At si consensum hunc exquirere omittant, non continuo irritae nuptiae fiunt. Non omnia, quae iure naturae disconveniunt, irrita sunt, sed ea demum, in quibus deest principium dans robur actui. At tale principium consensus parentum in nuptiis liberorum non est. Ipsum utique ad firmitatem nuptiarum, quasi naturaliter requirunt. Sed falluntur et fallunt. Quae afferunt argumenta hoc unum probant officium liberorum in parentes conveniens esse, ut parentum consensum exquirant, quod et nos concedimus cum temperamento, nisi manifeste iniqua sit voluntas parentum... Sed hinc, si verum amamus, non sequitur ius illud, quod facultatis, aut domini nomine explicatur filio deesse, qui uxorem ducit et matura debet esse aetatis, et abire extra familiam, ita ut hac in re regimini familiari non subiiciatur. Solum reverentiae officium nequiquam efficit, ut nullus sit, qui ei repugnat actus. Cf. Grotium. *De iure Belli et pac.* lib. 2. c. 1. §. 10. Puffendorf. *De offic. homin. et civ.* lib. 2. c. 3. §. 10.

Neque ius Rom. a iure naturae in hoc solum dissentit, quod declaravit matrimonium filiorum familias irritum sine consensu patris, sed et in eo,

quae insequentibus temporibus hac de re a regibus potissimum Galliarum identidem ac repetitis vicibus sancitae sunt, nullimode vinculum attigisse aut attingere. Nam si principum infidelium id excedebat auctoritatem, si excedit auctoritatem principum fidelium, perspicuum est, valida in conscientia esse quoad vinculum coniugia, quae filiifamilias contraxissent aut contraherent contra civiles tantum leges, quaeque simul non impingerent aut in legem naturae aut in legem divinam aut in legem ecclesiasticam (60).

Passim quidem auctores Galli contendunt, exceptionem esse faciendam quoad coniugia, quae contraherentur a regiae stirpis principibus, praesertim propioribus, et praesumptis coronae haeredibus, invito rege. Quaestio haec magno animorum aestu agitata est ex occasione coniugii initi inter ducem Gastonem, fratrem Ludovici XIII. ac sororem Caroli ducis, Margaretham principem Lotharingiae, non modo non consentiente, sed plane invito ac reluctantante rege. Post plures consultationes tum a senatu Parisiensi, tum a clero Gallicano iudicium est latum pro nullitate illius coniugii, eo quod ita ferret vetus in Gallico regno consuetudo *ab Ecclesia* probata.

Verumtamen non omnes in eandem concessere sententiam

quod ineundum voluit a filiifamilias *cum consensu* eius parentis, in cuius potestate est. Alligavit ius rom. necessitatem consensus parentum in nuptiis liberorum, non reverentiae ipsis debitae, sed patriae potestati; eaque propter et matrem et caeteros ascendentes, quin et ipsum patrem, qui filios emancipavit negligi permisit. Observavit hoc et August. Leysser in *Meditation. ad Pandecta*, vol. 3. specul. 291. §. 2. et 3.

(60) Quo sensu D. D'Hericourt op. cit. *Loix ecclesiast.* part. 3. chap. 5. *Du mariage* art. 2. num. 74. conciliare nititur Galliarum leges de nullitate coniugiorum filiorumfamilias, invitis parentibus, cum concilii Tridentini doctrina declarantis illorum legitimitatem seu valorem scribens: « En France, on déclare nuls les mariages célébrés par les mineurs, sans le consentement de leurs père et mère, ou leurs ancêtres; parceque le rapt de séduction y est regardé comme un empêchement dirimant de mariage; et que l'on présume toujours que des mariages de cette nature sont des effets de la séduction.... à l'égard des majeurs, il faut des preuves positives de la subornation. »

sive episcopi sive theologi, eo ipso quod nondum satis constisset de eiusmodi consuetudinis existentia, neque de eiusdem consuetudinis vi; num scilicet ad solum forum externum effectusque civiles extenderet coniugii illegitimitatem, an etiam ad foedus ipsum seu vinculum, ita ut nullum illud foret ac irritum. Nec deerant pro utroque placito rationum momenta (61). Quin etiam dubium excitatum est circa naturam illius ecclesiasticae approbationis, ad quam appellabant, qui steterunt pro nullitate illius connubii. Siquidem aliud est consuetudinem aliquam ab Ecclesia probari, ita ut quae iuxta illam fierent, dummodo sanctionibus canonicis non adversarentur, haberentur rata ab Ecclesia, aut etiam improbarentur, quae contra eandem legitimam consuetudinem attentarentur; aliud vero quod Ecclesia consuetudinem illam ita probaverit, ut induceret impedimentum dirimens. Quae profecto inter se permisceri nec possunt nec debent.

Quin nos salebrosam hanc disceptationem ingrediamur, dicimus, quod si reipsa eiusmodi obtinuit consuetudo ab Ecclesia eo sensu probata, ut irritum faceret coniugii foedus in

(61) Cf. Scipion Dupleix *Histoire de Louis le Juste XIII. de nom, roi de France.* Paris 1635. qui ad an. 1634. ita scribit: « Or comme tant de l'assemblée du clergé, qu'autres qui avaient un sentiment contraire à celui des députés, approuvaient bien et fort volontiers que le roi a pouvoir d'interdire le mariage avec certain parti, à tel de ses sujets que lui semble; et pourtant que ce sujet ne le peut contracter valablement sans le consentement de sa majesté: mais cela s'entend politiquement et civilement; c'est-à-dire quant au contract et à la convention civile, non pas quant au sacrement. De sorte que cette contravention mérite peine même capitale, si le roi ne fait grâce au criminel. Mais s'il n'y a point d'autres obstacles ou empêchements au mariage, il ne laissera pas d'être valable, canonique et légitime quant au sacrement. Ni plus ni moins que si le roi défendait à un prince du sang ou à quelqu'autre de ces vassaux ou sujets de faire baptiser son enfant en l'église des calvinistes, ou par certain prêtre; et que néanmoins il fût baptisé par un ministre ou religieux, et par ce prêtre; là; l'enfant laisserait-il de recevoir un baptême valable? Par exemple encore si le roi défendait à un de ses sujets de prendre les ordres sacrés, et que néanmoins au préjudice de cette défense il s'y fit promouvoir, laissera-t-il d'être vraiment et canoniquement ordonné prêtre? »